Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

tribunal. et exposuit rationem. et
populum sedavit. Reversusque est antyochi-
am. et hoc modo regis profectio et redi-
tus processit. Capitulum. xiiii.
Sed post triennii tempus cogno-
vit iudas et qui cum eo
erant demetrium seleuci
filium cum multitudine valida.
et navibus per portum tripolis ascen-
disse ad loca opportuna. et tenuisse
regiones adversus antyochum. et
ducem eius lysiam. Alchimus autem
qui summus sacerdos fuerat. sed volun-
tarie coinquinatus est temporibus commix-
tionis. considerans nullomodo sibi
esse salutem. neque accessum ad alta-
re. venit ad regem demetrium. centesimo l°
anno. offerens ei coronam auream
et palmam. super hec et tallos qui templi
esse videbantur. et ipsa quidem die
siluit. Tempus autem opportunum demen-
tie sue nactus convocatus a demetrio
ad consilium. et interrogatus quibus rebus
et consiliis iudei niterentur. Respondit. Ipsi
qui dicuntur assidei iudeorum. quibus
preest iudas machabeus. bella nu-
triunt et seditiones movent. nec
patiuntur regnum quietum esse.
Nam et ego defraudatus parentum
gloria. dico autem et summo sacerdotio.
huc veni. primo quidem utilitatibus re-
gis fidem servans. secundo autem etiam ci-
vibus consulens. Nam illorum pravita-
te universum genus nostrum non mini-
me vexatur. Sed his singulis oro
rex cognitis. et regioni et genti secundum
pervulgatam tuam omnibus huma-
nitatem prospice. Nam quamdiu su-
per est iudas impossibile est pacem
esse negotiis. Talibus autem ab eo dictis.
et ceteri amici hostiliter se habentes adversus
iudam. inflammaverunt demetrium.
Qui statim nycanorem prepositum ele-
phantorum ducem misit in iudeam
datis mandatis. ut ipsum quidem iu-
dam caperet. eos vero qui cum eo erant
dispergeret. et constitueret alchimum maxi-
mi templi summum sacerdotem. Tunc
gentes que de iudea fugerant iudam. gre-
gatim se nycanori miscebant. mi-
serias et clades iudeorum prosperitates rerum
suarum existimantes. Audito itaque iu-
dei nycanoris adventu. et conventu
nationum. conspersi terra rogabant eum
qui populum suum constituit ut eum in
eternum custodiret. quique suam por-
tionem signis evidentibus protegit.
Imperante autem duce statim inde
moverunt. conveneruntque ad castellum
dessau. Symon vero frater iude con-
miserat cum nycanore. sed conterritus
est repentino adventu adversariorum.
Nycanor autem audiens virtutem
comitum iude. et animi magnitu-
dinem quam pro patrie certaminibus habe-
bant. sanguinis iudicium facere
metuebat. Quamobrem premisit
possidonium. et theodotium. et mathyam.
ut darent dextras atque acciperent.
Et cum diu de his consilium haberet.
et ipse dux ad multitudinem retulis-
set. omnium una fuit sententia ami-
citiis annuere. Itaque diem constituerunt
qua secreto inter se agerent. et singulis
selle prolate sunt et posite. Precepit
autem iudas armatos esse in locis
opportunis. ne forte ab hostibus re-
pente aliquid mali oriretur. et congru-
um colloquium fecerunt. Morabatur
autem nycanor iherosolimis. et nichil
inique agebat. gregesque turbarum que
congregate fuerant dimisit. Habebat
autem semper iudam carum ex animo. et
erat viro inclinatus. Rogavitque
eum ducere uxorem. filiosque procrea-
re. et nuptias fecit. quiete egit. et